

PARS PRIMA

DE IIS, QUÆ AD FOVENDUM IN NOBIS ATQUE IN ALIIS AMOREM
ERGA COR JESU IMPELLUNT VEL PROBE DISPONUNT

CAPUT I.

DE RELATIONIBUS, QUÆ INTER COR JESU
ET SACERDOTES EXISTUNT.

1. Exordiendum sane videtur a relationibus, quæ inter Cor sanctissimum Domini Jesu et nos existunt: ex iis enim animorum unio exurgit, hæ amoris dilectionisque sunt incitamenta, quæ corda laqueis quibusdam vinciunt atque in unum finem conspirare homines faciunt; adeo ut quo majores, numerosiores atque intimiores relationes habeantur, eo ardentior fiat amor et cordium unio. Et revera nulli alteri sane comparandus amor, qui inter parentes filiosque intercedit: quod cui tandem rei tribuendum, nisi intimiori relationi, quæ natura ipsa inter eos existit?

2. Relictis aliis, quæ ex titulis Dei, Crea-

toris, Finis etc. considerari æque possent, sed quæ ad rem nobis propositam directe non faciunt, quatuor maxime videntur in præsentī relationes hujusmodi inter nos et Cor Jesu præ oculis habendæ, videlicet *paternitatis, fraternitatis, amicitia et dignitatis*. Hæ præcipue sunt, quæ in Deo Redemptore fundamentum habent, propterea quod ex Cordis Jesu ardentissimo amore ortum gratuitum habuere et ejusmodi sunt, quæ non nisi amorem dilectionemque suadent. Aliæ facile ex his deduci queunt interque meditandum considerari, ut Cordis hujus amantissimi effusione feliciter obruamur. Sed imprimis de Corde Jesu in Ecclesia et pro Ecclesia vivente pauca sunt præmittenda.

I.

*De sanctissimo Corde Jesu
in Ecclesia sancta.*

1. Juxta doctrinam, de qua divus Paulus repetitis vicibus in suis epistolis disserit, quamque tam dilucide in epistola I ad Corinthios evolvit, unum corpus nos sumus in Christo, Ecclesia corpus est Christi, nos membra ejus, Christus autem nostrum et Ecclesiæ caput. Cum autem corpus multis ex membris in unum coagmentatis coalescat, principio vitæ indiget, quod omnia membra sustineat, vegetet, succrescere faciat atque

simul coadunata inter se et cum capite conjuncta retineat. Hoc vitæ principio deficiente, corpus dissolvitur, membra a membris disjiciuntur, pereunt ac pene ad nihilum rediguntur.

2. Corporis Ecclesiæ vitæ principium Christus est, qui, Spiritu sancto cooperante, membra omnia sua mystica vivificat, donis suis auget et succrescere facit, roborat et confirmat. Verum dicendum pressius est hoc vitæ principium sanctissimum esse *Christi Cor*, quod hujus corporis in centro residet, ut inde undequaque suam vitam irradiando immittat. Nam in corpore quocumque anima informato, quamvis per se vitæ principium anima ipsa sit, principium tamen vitæ *organicum* cor est: in hoc enim affluit sanguis, ut vitalis fiat, et inde in singula effunditur membra, ut alat, vegetet, et evolvat, vitamque animalem conservet.

3. Cum igitur Ecclesia unum sit corpus in Christo et cum Christo, necesse prorsus est ut ex ipso, nempe ex ejus corde vitam hauriat, ut corpus vivens in eo sit. Et revera « ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderet nostræ salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim daret sacramentis Ecclesiæ

ad vitam gratiæ conferendam essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam (1). » Vita autem hæc, quam ex Corde Christi recepit Ecclesia, perenniter in ipsa servatur et succrescit, adeo ut, sicut inquit Apostolus, magis in dies « crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate (2). »

4. Quæ autem hæc vita sit ex Corde Christi in totum Ecclesiæ corpus et in singula membra sese diffundens, S. Joannes nobis brevibus explicat: « In ipso vita erat, inquit, et vita erat *lux* hominum (3); » et alibi: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris... de verbo vitæ; et vita manifestata est et vidimus et testamur... Et hæc est annuntiatio, quam vidimus ab eo et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ (4). » Ergo vita Christi *lux* est, ut de se ipse asseruit cum ait: « Ego sum vita... ego sum lux. » Nihil pulchrius luce, si eam physice consideres, pulcherrima omnium vero si spiritali

(1) S. Bonav. lib. *De Ligno vite*.

(2) Ad Ephes. iv, 15, 16.

(3) Jo. i, 4.

(4) I. Jo. i, 1-5.

ratione concipiamus. Lux est *veritas*, lux est *bonitas*, lux est *pulchritudo*, lux est *sanctitas*: Christi Cor est ergo fons et origo omnis veritatis, bonitatis pulchritudinis et sanctitatis in corpore et in singulis Ecclesiæ membris: sed quoniam hæc limpidissima sunt et perfectissima in ipso Christo, quia « Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ; » sequitur limpidissima ratione in corpus ejus scilicet in Ecclesiam et ejus membra diffundi.

5. At vero corporis hujus Ecclesiæ membra non æqualia sunt, quia « Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (1). » Quo autem quis majus est et perfectius Ecclesiæ membrum, eo abundantiore vitam a Christi Corde recipit; abundantissimam tamen si tale membrum est, ut et se perficere et salvare, alios autem in salutem æternam perducere debeat; quia hæc sunt proximiora Christo ejusque Cordi carissima membra. Hinc ecclesiastici et religiosi viri de hac abundantissima vita ex Corde Christi hausta gaudere summopere possunt, quia intimius Domino nostro uniuntur, dummodo per

(1) Ad Ephes. iv, 11, 12.

operum sanctimoniam, per fidem et charitatem perfectam in eo solidissime et perseveranter maneant.

II.

De relatione paternitatis.

1. Prima quæ se considerandam offert inter nos et Christum relatio illa est, qua filii Dei nominamur et sumus, ac propterea Christi Jesu; ipse enim « dedit nobis potestatem filios Dei fieri, si credamus in nomine ejus (1); » nec modo potestatem dedit, sed et genuit, vitam nobis communicando illam, quam a Patre recepit, ut filii Dei ex eo simus; nec tantum adhuc genuit, sed alit, conservat et perficit quam dedit vitam, « qui enim manducat ejus carnem et bibit ejus sanguinem habet vitam æternam et ipse resuscitabit eum in novissimo die (2). » Quis enim nesciat Christum esse « panem vitæ » et « panem quem ipse dat carnem ejus esse? »

2. Hanc vero filiationem, quæ a Domino Jesu profluit, attente considerare ac ponderare debemus: ipsa enim est princeps relatio, ex qua aliæ omnes originem ducunt vel in ea fundamentum habent. Filiatio ex generatione est, generatio autem in amore originem et principium quærit; amor denique nonnisi ex corde procedit, in quo

(1) Jo. I, 12.

(2) Jo. VI.

fontem et sedem retinet. Nos vere gignimur a Christo: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (1). »

3. Itaque nova nobis est in Christo et per Christum vita, ea sane ratione, quam ipse docuit cum ait: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (2). » Quæ autem hæc aqua est nisi illa, quæ ex Corde Christi Jesu post obitum vulnerati scaturit, cum miles lancea latus ejus aperiens exivit sanguis et aqua? sanguis quidem, quo in peccatorum expiationem redimeremur, aqua vero qua ablueremur in remissionem eorumdem peccatorum, atque per Spiritum sanctum sanctificaremur et filii Dei vere, non nomine tantum, essemus.

4. Qua igitur ratione Christus natura sua filius Dei est, quia ex ipso et in ipso vitam et esse habet; ita simili supernaturali ratione nos Christi filii sumus, quia nonnisi ex ipso et in ipso novam vitam habuimus. Sed cur Joannes ait nos non tantum *nomine* sed *re* filios Dei esse? Potestne homo reapse filium Dei fieri? Ut re filii Dei simus, nempe ex Deo nati, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (3),

(1) Ad Rom. VI, 4.

(2) Jo. III, 5.

(3) Jo. I.

necesse sane est ut proportionem quamdam et similitudinem cum eo habeamus; qui enim filius est ex parentum substantia ortus similitudinem et proportionem cum ipsis retinet, ex quibus vitam recipit; unde legimus in Genesi: « Et erunt duo in carne una (1): » una hæc duorum caro filii caro est, nempe filius, qui patri æque ac matri similis ambos in una carne repræsentat. Quæ autem nobis unquam similitudo aut proportio naturæ atque substantiæ cum Deo æterno, infinito atque incommutabili esse potest? Satis nobis creaturis sit, ut imaginem Dei præferamus ejusque servi et subditi simus.

5. Attamen nemo est qui neget hanc proportionem et similitudinem datam primitus nobis a Deo in primo parente fuisse, cum inquit: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (2); » imago sane ad naturam pertinet, inquit alicubi sanctus Bonaventura, similitudo ad gratiam. Hanc igitur gratiam Deus conditor nobis in primo homine contulerat, nos miseri in hoc ipso parente amiseramus; Christus vero, sanguine suo in cruce effuso atque ex corde manante, restituit, ut vere ad novam vitam per gratiam ejus ex ipso nasceremur; per gratiam, inquam, qua similes efficitur Deo, ut vere filii ejus simus.

6. At quomodo fit ut gratia similes nos

(1) Gen. ii, 25.

(2) Gen. i, 26.

Deo reddat; quæ relatio inveniri unquam potest inter naturam divinam nostramque humanam gratia condecoratam? Gratia de qua hic loquimur, non ea sane est quæ *accidentalis* et *momentanea* dicitur, quæ in mentis *illustratione* et cordis *inspiratione* consistit, quæque alio nomine *actualis* audit: hanc etiam illis Deus optimus maximus largitur, qui non modo nullam cum ipso similitudinem retinent, sed qui etiam postquam acceperint inimici ejus manent æternisque pœnis addicti. Sed hæc illa est gratia, quæ jugiter perennis in animis residet, quæ « diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis » ipsis cordibus inhæret et immanet. Hæc substantiali quodam modo hominis animum reformat et instaurat, vel saltem novam ei qualitatem addit, qua elevatur, roboratur novamque donatur vita: hæc facit ut « exspoliamus nos veterem hominem cum actibus suis et induamus novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum (1); » videlicet hæc facit, ut mortui peccato formam ipsam Christi sumamus, qui Patris est *substantialis imago*. Itaque gratia hæc similitudinem veram et proportionem quamdam nobis cum Deo tribuit, ex eo quod veram Christi similitudinem nobis miseris tradit, qua induimur ut

(1) Ad Coloss. iii, 9.

in novitate vitæ ambulemus et ad ejus imaginem reformemur et innovemur.

7. Verum Christi similitudo efficit ut nos Christi vita fruamur, sanctitate, donis et charitate illa, qua ipse nos et Patrem diligit; neque hoc semel et quasi per transennam, ut supra innuimus, sed jugiter et perenniter, quia *sanctificantis gratiæ* donum in anima viri justī immanet et servatur, nec nisi peccato introeunte, recedit. Nam « complantati, ait D. Paulus, sumus similitudini resurrectionis Christi, sicut complantati facti fuimus similitudini mortis ejus per baptismum, quo consepulti sumus Christo. Et quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; ita etiam nos simul vivemus cum eo (1); » neque ultra nobis mors dominabitur, si constanter Domino Jesu adhærere velimus. Quid enim ipse Christus nos docuit? « Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum (2). » Vides qua ratione velit ut complantati ipsi simus per sinceram mentis et cordis adhæsionem, ut ex hac conjunctione vitam jugiter ex eo hauriamus. Sicut autem palmes, medio vitis trunco, ex radice succum trahit; ita si tamquam palmites viti nostræ Christo adhæreamus, ex ejus purissimo Corde vitæ suc-

(1) Ad Rom. vi, 3-5.

(2) Jo. xv, 5.

cum hauriemus, ex quo vitæ nostræ abundantes fructus feremus.

8. Hæc quæ de omnibus Christi fidelibus facile intelligi possunt, nobis potissimum sacerdotibus et Christi ministris, atque apostolorum discipulorumque successoribus et hæredibus tribuuntur, quos Christus ut suos filios dilexit, quibus non raro amoris paterni signa dedit, quosque filiolos peculiari ratione appellavit, cum ipsos a se orphans relictum non iri promisit. Quī enim Christus quos sibi proximiores adscivit atque elegit, vel potius de mundo præelegit, non potiori vinculo filiationis secum adjunxerit?

III.

De relatione fraternitatis.

1. Cum Dominus Jesus nos orare doceret, voluit ut Patrem suum Patrem nostrum appellaremus, inquit enim: « Sic orabitur: Pater noster, qui es in cælis (1). » Hic duo asseruit Salvator noster, voluit nempe nos filios Dei fieri una et fratres suos, cum ipse filius Dei naturalis sit. Hinc ex duplici titulo fratres Christi sumus, et quod filii Dei ex ipso et in ipso facti fuimus, qui filius Dei est, et quod ipse sua bonitate vult ut fratres ejus simus. Mirabile hoc est divini amoris Cordis Christi arcanum, ut quos inimicos

(1) Matth. vi, 9.

habebat in suos fratres cooptaret, quo suorum bonorum regnique paterni hæredes efficeret.

2. Omnes tamen causas vel titulos, ex quibus Christus frater noster factus est, diligenter perpendere oportet. Prima omnium causa, primusque titulus ex ejus humanitate desumitur: cum enim Verbum caro factum est et nobiscum habitavit, suæ divinitatis nos participes fecit, quod a nobis humanitatem nostram recepit, unde hominis Adæque filius est factus, quales nos etiam sumus: Quanti Dominus Jesus hanc fraternitatis relationem ex hoc titulo ortam fecerit, exinde manifestum fuit, quod nihil potius adamaverit quam ut se filium hominis, præ nobiliori filii Dei titulo diceret; porro sæpissime asseruit se fratrem nostrum esse, nosque ut fratres diligere, eoque amore quo nihil magis, cum dicat: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum (1). » Attamen quid boni vel gaudii et deliciarum nos ingrati homines ejus divino Cordi afferre poteramus? Hoc fortasse, ut totum ex ejus Cordè profusum sanguinem hauriremus, quem ipse in nos refunderet ut salvaremur, atque cum Patre suo reconciliaremur.

3. Alia est etiam hujus relationis causa, quam nuper innuimus, nempe filiatio nostra divina, ex qua fit ut divinæ naturæ

(1) Prov. viii, 31.

consortes simus. Etenim « per Christum, maxima et pretiosa nobis promissa Deus donavit: ut per hæc efficeremur divinæ consortes naturæ (1). » Qua vero ratione divinæ consortes naturæ facti fuerimus tum ex Verbi incarnatione, tum ex gratia nobis collata dilucidum est. Cum igitur ex his cognitionem quamdam cum divina natura habeamus, nemini dubium est nos fratres Christi esse, eodem sane pacto ac ipse frater noster factus est, ex eo quod cognationem cum humana nostra natura ex incarnatione fuerit adeptus.

4. Tertia est adhuc hujus relationis ratio. Omnia nobis ex amore, quo Cor ejus æstuebat contulerat Christus: unum illi reliquum erat in hac terra, dum in eo esset ut supremum in cruce efflaret spiritum, scilicet Mater sua dilectissima beata Virgo Maria, quam et nobis tradidit, ut mater nostra esset, cum ait: « Ecce filius tuus... Ecce mater tua (2). » Jam tum Maria inter dolores nos Christo peperit et mater nostra effecta est; nos autem ejus filii ac fratres Christi, qui « primogenitus est in multis fratribus (3). »

5. Maxima hîc diligentia Cornelii a Lapide verba notanda sunt: « Causa, inquit, cur Christus Joanni præ aliis apostolis matrem

(1) II. Pet. i, 4.

(2) Jo. xix, 26, 27.

(3) Ad Rom. viii, 29.

commendarit, fuit quod Joannes solus cum matre Christo crucifixo usque ad mortem intrepidus et constans, inter tot Judæorum odia et opprobria astiterit; meruit ergo ipse ut a Jesu quasi in fratrem adoptaretur, ac pro se quasi filius Matri Virgini surrogaretur. Porro Christus in Joanne cæteros apostolos, imo fideles omnes quasi filios matri suæ assignavit et commendavit, maxime eos qui *virgines castique sunt, ac proxime Christum in cruce sua consecantur*; sic enim fiunt amicissimi ac intimi Christo ejusque Matri, uti fuit Joannes, qui proinde a S. Cypriano vocatur « cubicularius Christi (1). »

6. Postrema autem ecclesiasticis viris specialissima est hujus relationis ratio, quia ut apostoli in apostolatu et evangelii prædicatione eandem Christi missionem sequimur, collegæ ejus sumus, eadem ac ipse agere tenemur. Quid est quod magis corda animosque nostros Jesu Cordi vinciat, cujus munus potissimum fuit, ut amorem suum in omnes homines diffunderet eosque salvos faceret? Hæc nobis præcipue missio relicta est, idque facit ut carissimi Christo simus, quos ut fratres majori dilectione prosequitur, ea plane ratione qua apostolos diligebat, eosque frequenter fratrum nomine consaluta-

(1) Corn. a Lap. in Jo. xix, 26.

bat, quamvis etiam ut filios haberet, quia fidei et veræ vitæ genuerat.

7. Meminerint tamen sacerdotes quo quidem modo discipulos suos Christus ut fratres habuerit; cum enim nunciatum illi fuisset: « Ecce mater tua et fratres tui foris quærunt te, » Christus respondit: « Quæ est mater mea et fratres mei? » Et circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant (nempe discipulos suos), ait: Ecce mater mea et fratres mei. *Qui enim fecerit voluntatem Dei*, hic frater meus et soror mea et mater est (1). » Non igitur fratres Christi sumus, nisi voluntatem Dei faciamus in omnibus ut ipse fecit, de quo scriptum legimus: « In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam (2). » Quam autem Dei Patris voluntatem Christus fecerit nemo est qui ignoret; « factus enim est obediens usque ad mortem crucis (3); » cumque ut naturæ humanæ infirmitati satisfaceret, Patrem oravit, ut se a teterrima passione liberaret, statim adjecit: « Verumtamen non mea sed tua voluntas fiat (4). » Sic nos sacerdotes Dei voluntatem assequi debemus.

(1) Marc. iii, 32-35.

(2) Psalm. xxxix, 9.

(3) Ad Phil. ii, 8.

(4) Luc. xxi, 42.

IV.

De relatione amicitiae.

1. Si quis Cordis Jesu inexhaustos investigare velit thesauros, legat oportet et attente meditetur sermonem illum, quem amantissimus Redemptor noster, antequam morti se traderet, discipulis suis in cœnaculo convocatis habuit. Dilecto enim discipulo Joanni datum fuit, ut tantum charitatis documentum aureis veluti litteris exaratum servaret atque nobis transmitteret. Ibi Jesus aperte et repetitis vicibus amicos suos esse discipulis declaravit, necnon talia hujus amicitiae signa dedit, quæ majora dare nunquam potuisset. Nam primum quali quantaque dilectione eos sit continuo prosecutus ostendit: « Sicut dilexit me Pater, inquit, et ego dilexi vos (1); » quod autem maximum dilectionis signum ipsis daturus esset videte: « Majorem hac dilectionem, ait, nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (2); » quasi diceret: Ego trado vitam meam pro vobis amicis meis, ego meipsum tamquam victimam in holocaustum pro vobis offero, ut vos amicos meos sospites faciam sanguinem meum cum vita fundam: potestne quis majori dilectione amicos suos

(1) Jo. xv, 9.

(2) Ib. v, 13.

prosequi? En quali quantoque vos amore diligo.

2. Nec miremini quod vos amicos vocem: « Vos amici mei estis... Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis (1). » Hoc sane amicitiae signum est, quia « inter amicos omnia sunt communia » et potissimum quæ interiori in animo conduntur, facile ipsis ex contracta fiducia manifestantur. Christus vero cum per parabolas pharisæos et populum alloqueretur, aperte et sine velamine secreta et arcana cœlestia discipulis suis referebat, quia hos ut amicos, illos servorum in numero habebat. Discipulis omnia nota fecit nec suam occultavit divinitatem, nec Personarum in Deo Trinitatem, propriis verbis redemptionem et mortem suam revelavit, atque cuncta quæ ad regnum spiritale in hoc mundo stabilendum necessario cognoscenda erant; ut ipsi testimonium de eo perhiberent, cum Spiritus Paraclitus in eos adveniens evidentiùs hæc ipsa doceret.

3. Igitur cum servi Dei essemus, quod ab eo conditi fuimus, Christi gratia familiares ejus et amici facti sumus. Utique exinde non sequitur nos adhuc ejus servos non esse, quoniam abeuntibus nobis ex hac vita di-

(1) Jo. v, 14, 15.

cturus est Christus: « Euge, serve bone et fidelis; » verum, ut S. Augustinus adnotat, duplex est hominum servitus, alia servilis, qua mancipia ex timore serviunt heris; alia liberalis et filialis qua filii ex amore serviunt parentibus (1); nos ut apostolorum successores, non priori sed posteriori ratione Christi servi sumus et Dei, ex illo cordis sui amore gratuito, quo ad amicitiam suam nos evexit, dummodo fideles præscriptis ab ipso conditionibus satisfacere velimus.

4. Itaque, ne forte decipiamur, videamus quam addat conditionem Christus vel qua sub conditione nos ministros suos in amicos cooptaverit: « Vos amici mei estis, inquit, si feceritis quæ ego præcipio vobis (2). » Ergo amici Christi erimus quotiescumque, ut servi fideles, filiali affectu et ex animo ejus præceptis obtemperaverimus, nec hilum prætermiserimus de iis quæ ipse nobis mandavit facienda. Non sane gravis hæc conditio est, non enim gravia imponit nobis Christus, et amicitiae donum magnificum est atque adeo liberaliter concessum, ut mortales homines nunquam illud expetere ausi fuissent. Quomodo vero hujusmodi obedientiam Christo Domino denegare poterimus, qui ut immensi sui amoris signum præberet, animam suam pro nobis amicis suis obtulit probris,

(1) S. Aug. Tract. LVIII.

(2) Jo. xv, 14.

tormentis et morti? Amor amore compensatur, qui vitæ etiam sacrificium præstat; Christus autem fideli vult voluntatis submissione et obedientia rependi, ut nos sibi intimos familiares et amicos recipiat, tum in hac tum in altera vita, ubi omnium suorum bonorum participes efficiet.

5. Quod est autem præcipuum et quasi unicum Christi Jesu præceptum, de quo hoc ipso loco diffuse disseruit? Illud est mutuae inter nos dilectionis: « Hæc mando vobis ut diligatis invicem (1). » Videte bonitatem Christi Domini, non pro se sed pro nobis ipsis aliquid in amoris et obedientiae testimonium exquirat, omniaque sua præcepta hoc uno amoris mutui inter nos complectitur, quasi singula et omnia huic uni æquivalent, vel talia sint ut si hoc unum et alia facile exequamur. Nec reputat Dei amorem et sui nobis esse præcipiendum, ex hoc enim vult suorum fidelium discipulorum in se amorem manifestari, ut mutuum inter se amorem foveant. Optime igitur Joannes dilectus Christi amicus, discipulis suis, narrante S. Hieronymo, interrogantibus, cur repetitis vicibus hoc semper amoris præceptum in ore haberet, reposuit: « Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit (2). »

(1) Jo. xv, 17.

(2) S. Hier. *De Script. eccl.* l. III, c. 6.

6. Nostrum igitur est qui sacerdotes et Christi ministri sumus ei fideliter obedire atque omnibus ejus mandatis obsequi, huic potissimum quo mutuo nos diligere jubemur. Profecto hæc fratrum dilectio efficit ut cor nostrum Dei charitate et dilectione ardeat, quia si Christi mandato obtemperamus, ipse se nobis ut amicis suis manifestabit, omniaque, quæ a Patre suo audivit nota faciet, unde amoris Dei ignis, qui ex cognitione augetur, in animis nostris exardescat. Unde fit, quærit Bernardus, ut nos ad Deum cognoscendum non elevemur, vel ad nos ei conjungendum desiderio et affectu lingueamus, nisi quod Christo non obediamus, neque ipsum obsequii signis amemus? « Vis nosse, inquit, quia sublimitas divinæ revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam, inquit, vos servos sed amicos, quia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare; collige teipsum ad temetipsum et in solo divinitatis desiderio requiesce (1). »

(1) *Tract. De inter. dōno*, c. LXIX.

V.

De relatione dignitatis.

1. Quæ est Christi dignitas et quæ illa quam nobis sua bonitate contulit? Christus « REX est constitutus a Deo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (1). » — Christus JUDEX est supremus vivorum et mortuorum: « Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (2). » — Christus LUX est: « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (3); » ut ipse de se testatur cum ait: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (4). » — Christus PONTIFEX est offerens seipsum victimam et sacrificium Deo gratissimum, quia ipse est « Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus (5). »

2. Hæc est dignitas Christi, qua cælo et terræ, angelis et hominibus dominatur: hanc ei dignitatem tribuit Pater, quia Redemptor hominum est « factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. »

(1) Ps. I, 6.

(2) Jo. v, 22, 23.

(3) Jo. I, 9.

(4) Jo. VIII, 12.

(5) Ad Hebr. VII, 26.

Hanc eamdem dignitatem nobis, quos suos ministros et regni hæredes fecit, benigne contulit, ut sicut ipse natura sua et missione a Patre recepta *Christus* est, seu unctus a Domino, ita et nos *Christi* simus, seu uncti a Domino, in excelso loco super omnes positi. Et revera nos *reges* constituit Christus, non sane eo dumtaxat sensu, de quo Paulus ait: « Si sustinebimus et conregnabimus (1), » nec etiam eo tantum quo dici assolet: « Servire Deo regnare est; » sed ea prorsus ratione, qua Christus ipse regnavit et super omnia regnat. Hoc enim intellexerunt vigintiquatuor seniores cum canerent: « Dignus es Domine recipere librum, et aperire signacula ejus: quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: et regnabimus super terram (2). »

3. Utique ex Christi gratia et amore sacerdotes facti, auctoritate, verbo et potestate super omnes accepta regnamus: ideo « Spiritus sanctus nos posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (3); » ideo ut Christus missi sumus, quo populis omnibus et nationibus verbum et præceptum Dei prædicemus et imponamus,

(1) II. Tim. II, 12.
(3) Act. Ap. xx, 28.

(2) Apoc. v, 9-11.

tanto imperio ut nisi a nobis illud recipiant condemnentur; ideo omnibus mandatum est hominibus ut nos audiant, sicut Christo obedientiam debent, et ut a nobis facinorum relaxationem petant, si cum Deo reconciliari velint. Hæc est regia dignitas omnibus numeris potior quam illa regum ac principum terræ, qui nonnisi corporibus, ut ita dicam, dominantur, nec nisi vi et armis imperium exercent.

4. Et ut Christus iudex est vivorum et mortuorum, ita et nos *judices* sumus in hac terra ac erimus hominum in altera vita, necnon dæmonum ipsorum. Cum enim Petrus assereret: « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te; » Jesus discipulis omnibus dixit: « Amen, amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (1). » Qua promissione confisus Paulus affirmabat: « Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia (2)? » Certum igitur est nos iudices in extremo mundi die futuros, atque hinc inde cum Christo iudice assessuros, qui homines æque et angelos iudicabit. Unde recte S. Bernardus: « Justa prorsus, inquit, retributio, ut qui hinc pro Christo humanæ gloriæ celsi-

(1) Matth. xix, 27, 28.

(2) I. Cor. vi, 3.

tudinis neglexerunt, illic a Christo iudices glorificati singulariter cum eo assideant (1).» Quæ sane de religiosis et ecclesiasticis viris dicta sunt, qui omnia relinquunt ut Christum sequantur, mundum odio habent ut Christum diligant, hominum injurias ferunt ut Christo fideles acquiescant.

5. Neque hoc tantum, sed et hujus vitæ ac mundi iudices nos Salvator noster constituit. Velit, nolit mundus a nobis iudicandus est: iudicium hoc a Christi morte incœpit, qui ait: « Nunc iudicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (2). » Christus primus, sua morte, mundum ejusque concupiscentias condemnavit, ac dæmonem mundi principem contrivit, ab hominum denique animabus ejecit. Quod ipse initio fecit, nostrum est, potestate ab ipso accepta, efficere, nec ad finem usque mundi cessare, donec ea damnemus et conteramus, quæ a mundi sectatoribus fiunt, necnon tenebrarum mundique hujus principem ab hominum animabus expellamus. Cur enim claves regni cælorum nobis Christus commisit? cur potestatem ligandi aut solvendi, retinendi vel remittendi pro tribunali hominum peccata? Omnes sane lato sensu, fideles autem christiani strictiori nobis in hoc subditi sunt atque a nostro iudicio pendent.

(1) S. Bern. Serm. de S. Bened.

(2) Jo. XII, 31.

6. Porro nos tenebræ eramus atque in tenebris ambulabamus: Christus lux vera a potestate tenebrarum, suis doctrinis atque exemplis homines omnes liberos reddidit. At suis fidissimis amicis suisque discipulis dedit non modo ut cœlesti lumine reficerentur, sed ut *lux* essent ad aliorum errorum tenebras dissipandas. « Ego sum, inquit, lux mundi, » attamen id non officit quominus et vos sitis: « Vos estis lux mundi; » et « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (1). » Quis tantæ dignitatis amplitudinem concipere unquam potest, ut qui labili mente et spiritu natura inveniuntur, divinam alios illuminandi proprietatem induant?

7. Duplici ergo modo ministros suos lucem mundi constituit Dominus: primo quidem quo per veram doctrinam ac veritatem hominum errores dissipent; alio vero quo omnium virtutum exemplis eos qui in mundo versantur ad sanctitatis lumen et vitam ducant. Hac eadem ratione Christus fuit et est lux mundi, egit enim exemplo et verbo docuit veritatem: « Cœpit facere et docere (2); » ut prius faceret exemplo, alicubi ait S. Bernardus, quod postea docturus erat verbo. Ideo Spiritum sanctum ad nos misit,

(1) Matth. v, 14-16.

(2) Act. Ap, I, 1, 2.

qui omnem doceret veritatem; ideo seipsum nobiscum omnibus diebus usque ad mundi finem mansurum promisit, ut suos ministros ac sacerdotes juvaret, ne a veritate deficerent, ac jugiter essent « lucerna super candelabrum posita, quæ luceat omnibus qui in domo sunt (1). »

8. Quod vero ad lucem pertinet, quam mediis exemplis undique diffundere tenemur, quos sane, inquam, nisi ecclesiasticos et religiosos viros Christus elegit, non modo suis præceptis sed etiam exemplis institutos, ut lucis suæ omnibus virtute præluerent? Ideo ab Ecclesiæ exordiis tot sancti episcopi, totque integerrimi sacerdotes et religiosi viri extiterunt; nunc temporis vero unde homines virtutum exempla atque bonum sanctitatis odorem, nisi ab ecclesiasticis viris atque a cœnobiis domibusque religiosis hauriunt? Nonne enim charismatibus multis, pluribusque donis cumulati fuimus a Christo, ut veluti ejus charissimi amici lux vera mundi essemus? Quod infinita Domini Jesu Salvatoris sapientia asseruit et voluit, potestate sua certissime perfecit.

9. Denique nos *pontifices* Christus creavit, ut quotidie sanctissimum atque incruentum sui corporis ac sanguinis sacrificium Deo Patri pro hominum iniquitatibus offerremus. Profecto neminem latet supremum

(1) Matth. v, 15, 3.

hujus sacrificii Pontificem Christum esse, sicut ipse immaculata est victima et Deo gratissima: hoc autem non officit quominus et nos una cum Christo pontifices simus. Quid enim nisi hoc Domini nostri verba significant: « Hoc facite in meam commemorationem (1)? » Hinc Concilium tridentinum docet his verbis apostolos non modo sacerdotes sed et episcopos constitutos fuisse (2); his enim verbis Dominus noster discipulis suis mandavit non solum ut ipsi suum corpus, suumque sanguinem in sui memoriam consecrarent, verum etiam ut perenne hoc sacrificium, novis sacerdotio auctis hominibus, redderent; ut fideles perpetuæ spiritali refectioi participarent et Deo perpetuæ gratiæ in Ecclesia per patriæ cultum agerentur, quem proprie hujusmodi sacrificio supremo Numini tribuimus.

10. Nos igitur vere pontifices sumus, ideo sejunctim corpus a sanguine Christi consecramus, quasi victimæ suum sanguinem, non cruento sed mystico modo, effundentis, nostroque reali ministerio renovantis, quod semel cruci affixus egit, cum a satellitibus, non ut ministris sed ut sacrificii instrumentis, sanguinem suum a sacratissimo corpore separari permisit. Nisi ita esset, nullum in Ecclesia sacrificium, nullum sacerdotium extaret, nullusque verus patriæ

(1) Luc. xxii, 19.

(2) Sess. xxii, 1.

eultus, qui maxime in sacrificio consistit: non enim Christus per se ita visibilem seipsum præbet, nec adeo sensili modo se Patri offert, ut quod homines agunt stricto et vero sensu sacrificium dici queat.

11. Quapropter, his omnibus in unum collatis, nonne innumeris amoris sui vinculis nos ministros suos sibi Christus copulavit? Quid? non modo inutiles sed nequissimi servi eramus, filii iræ et massa perditionis; decem millium talentorum immensum debitum, quod Deo Patri solvere tenebamur, tanti erat, ut impares prorsus ad solvendum essemus; nec preces aut sacrificia nostra id extundere unquam poterant, ut Numinis vindictam a nobis averterent, qua morti æternæ, ligatis manibus et pedibus, tenebrisque exterioribus damnamur. Christus misertus est nostri, suum nostrum debitum fecit; purissimo sanguine ex Corde suo amantissimo effuso, suaque morte plenissime solvit; lavit a criminibus innumeris animas hominum, iramque divinam a nobis avertit.

12. Neque hoc satis suo amori fuit. Infinitus est Cordis Jesu amoris thesaurus, immensa nos ipse dilectione prosequitur. Itaque, quis crederet? nos Deo Patri reconciliatos non in humili servorum conditione, ut merebamur, reliquit, sed ad filiorum, amicorum, fratrumque suorum dignitatem

evexit, cumulavit adhuc aliis bonis quæ, naturæ proportione servata, nos sibi æquales constituit, ut veluti reges, judices, lux et pontifices in hoc mundo ageremus, sicut ipse a Patre suo ad homines missus fuerat. Hæc sunt aurea amoris vincula, hæc charitatis pretiosissima ligamina, quæ si fregerimus, ingrattissimi et crudelissimi animi signa non indubia dabimus.

13. Verum quoniam extremam hanc relationem, quæ nobis Dei sacerdotibus speciosissima est, vix delibare potuimus, sequenti capitulo fusiori sermone considerabimus. Interea præ oculis habeamus, quæ Cor Patris, Fratris et Amici nostri amantissimum nobis nequissimis servis suis contulit ut, dignitate nostra perspecta, majori studio in Christum feramur, atque sanctimoniam amore hoc tanto munere digniores efficiamur, nec non arctius Deo et Christo suo jungamur, cui laus et sempiterna gloria sit et concinatur in cælis.

CAPUT II.

DE MISSIONE ECCLESIASTICIS ET RELIGIOSIS VIRIS
A CORDE JESU TRADITA.

1. Missionem suam Christus Dominus uno verbo apud Lucam expressit, cum ait: «Ignem veni mittere in terram, et quid volo